34

xiiii Nunc quis modus audiendi sit disseramus. Tale enim quiddam fieri consueuit in uocibus quale cum
paludibus uel quietis aquis iactum eminus mergitur saxum. Prius enim in paruissimum orbem
undam colligit. deinde maioribus orbibus undarum globos spargit. Atque eo usque dum fatigatus motus
ab eliciendis fluctibus conquiescat. Semperque posterior et maior undula pulsu debiliore diffun
ditur. Quod si quid sit quod crescentes undas possit offendere. statim motus ille offenditur [reuertitur]
et quasi ad centrum unde profectus fuerat. eisdem undulis rotundatur. Ita igitur cum aer
pulsus fecerit sonum. pellit alium proximum. et quodammodo rotundum fluctum aeris ciet.
itaque diffunditur. et omnium circum stantium simul ferit auditum. Atque illi est obscurior uox qui lon
gius steterit. quoniam ad eum debilior pulsi aeris unda peruenit.

xv DE ORDINE THEOREMATUM. ID EST SPECULATIONUM

His igitur ita propositis dicendum uidetur. quot generibus omnis cantilena texatur. de quibus armo
nicae inuentionis disciplina considerat. Sunt autem haec. Diatonum. Chroma. Armonia.
de quibus tradendum explicandum est. Si prius de tetra cordis disseramus. et quemadmodum
auctus neruorum numerus. quo nunc pluralitatis est. usque peruenerit. Id autem fiet. si prius com
memoremus. quibus proportionibus symphoniae musicae misceantur.

DE CONSONANTIIS PROPORTIONUM

xvi Nam si uox uoci duplo sit acuta uel grauis. diapason consonantia fiet. Si uox uoce sesqualtera
proportione sit uel sesquitertia uel sesquioctaua. acutior grauiorque. diapente uel diatessaron
uel tonum consonantiam reddet. Item si diapason in duo et quatuor. et diapente ut sex et iiii
coniunguntur. triplam quae est diapason. et diapente efficient symphoniam. Quod si bis diapa
son fiant. ut ii et iiii. et iiii et viii. quadrupla fiat consonantia. quae est bis diapason.
Quod si sesqualtera et sesquitertia. id est diapente et diatessaron. ut ii ad iii et iii ad iiii
coniungantur. dupla. id est diapason nimirum nascitur concinentia. quattuor enim ad iii
sesquitertiam obtinent proportionem. Tres uero ad binarium. sesqualtera conlatione iunguntur. et idem
quaternarius ad binarium adpositus. dupla ei comparatione copulatur. Sed sesquitertia diatessaron
sesqualtera proportio diapente consonantiam creat. dupla uero diapason efficit symphoniam.
diatessaron igitur ac diapente. unam diapason concinentiam iungunt.